



Citacion en prohibicion al Dean y Cabildo de Granada en el punto  
de diezmos con  la comp de feuy

201  
9  
207



**A** N N E S Baptista Coccinus iuris  
vtriusq; Doctor, sanctissimi domini  
nostri Papæ Capellanus, & ipſius ſacri  
Palatij Apoſtolici cauſarū Auditor, &  
Rotæ Decanus, iudexque commiſſa-

rius, cauſæ, & cauſis, ac partibus in-  
ſcriptis Apoſtolica auctoritate ſpecialiter & expreſ-  
ſe deputatus. Vniuerſis, & ſingulis Dominis Abbati-  
bus, Prioribus, Præpoſitis, Decanis, Archidiaconis,  
Cantoribus, Sachriſtis, tam Cathedralium, etiam Me-  
tropolitanarum, quàm Collegiatarum, Canoniciſ, Pa-  
rochialiumque Eccleſiarum Rectoribus, cæteriſque  
presbyteris, clericis, notarijs, & tabellionibus publi-  
cis quibuſcunq; per ciuitatem, & Dioceſim Grana-  
tenſem, ac aliàs vbilibet conſtitutis, illique, vel illis ad  
quē, vel ad quos præſentes noſtræ literæ peruenerint.  
Salutem in Domino, & noſtris huiuſmodi imo uerius  
Apoſtolicis firmiſter obedire mandatis. Noueritis ſub  
inſertam commiſſionem copiam aliarum duarum cõ-  
miſſionum in eius capite præinſertam habentem, no-  
bis eadem Apoſtolica auctoritate præſentatam fuiſſe  
tenoris ſequentis, uidelicet. Beatiffime Pater occaſio-  
ne ſolutionis decimarū ſubortæ ſunt à pluribus annis  
citra variæ lites inter deuotos Sanctitatis veſtræ Ora-  
tores, Capitulum, & Canonicos Eccleſiæ Granatēſis,  
alioſque litis cõſortes ex vna, & Collegiū dictæ ciuita-  
tis, & forſan aliàs domos eiufdem ciuitatis ex altera,  
tam in Romana Curia, quàm in partibus, & ſuper hu-  
iuſmodi ſolutione emanauerunt plura Breuia Apoſto-  
lica ad fauorem eorundem Oratorum, & vltimo loco  
Breue Sanctitatis veſtræ reuocatorium Breuis Grego-  
rij Decimiq; ſexti, per quod moderabatur Breue Leo-  
nis Vndecimi, quorum omniū executio iniuncta fuit

13  
27  
23  
21

A

Nun-

161  
Nuntio Sanctitatis vestrae in partibus Hispaniarum  
commoranti; & licet stante dicta deputatione Nun-  
tij. in executionem huiusmodi Breuium, qui hactenus  
diffinitivè non pronuntiauit, super eorum executione,  
non potuerit, nec debuerit in sua iurisdictione turbari  
per alios iudices, tã in Romana Curia, quam extra, etiã  
per Rotã vestrae Auditores, & etiam Cardinales, ni-  
hilominus sub diversis prætensionibus, coram diversis  
iudiciis prædictis causam huiusmodi executionis im-  
pedire tentarunt, in graue damnum Oratorum. Ideo  
supplicãnt iidem Oratores Sanctitatis vestrae, quate-  
nùs dignetur præuia causarum huiusmodi auocatione,  
à quibuscunque iudiciis prædictis, illas eidem Nun-  
tio committere, & mandare cognoscendas, decidendas,  
sineque debito terminandas, iuxta facultates in dictis  
Breuibus sibi concessas, aliasque desuper necessarias,  
& opportunas, præmissis, necnon constitutionibus, &  
ordinationibus Apostolicis, stylo Palatii, & Curia, cæ-  
terisque contrarijs, non obstantibus quibuscunque. Sta-  
tuti, &c. aliorumque, &c. pro plenè, & sufficienter  
expressis habendo. Concessum vt petitur, in præsentia  
domini nostri Papæ A. Cardinalis Barberinus, & cum  
absolutione à censuris ad effectum, & per Breue San-  
ctitatis vestrae, & per officium contradictarum, seu mi-  
noris gratia expedendum. Concessum A. Cardinalis  
Barberinus. Beatissime Pater, quamvis Reuerendis-  
simus dominus Hispaniarum Nuntius, lite huiusmodi pè-  
dente in Rota, corã Reuerendo Pater domino Coccino,  
vigore præinsertæ nõ debuerit in causa ista procedere  
ad instantiam Decani, & Capituli Granatenis, contra  
Collegium Societatis Iesu eiusdem ciuitatis, super im-  
petratione Breuis foelicis recordationis Leonis Vnde-  
cimi, de qua in eadem præinserta in decimarum solu-  
tionè ipsius vigore facienda, & multo minus post inhi-  
bitionem vigore eiusdem præinsertæ emanatam, &  
sibi

sibi præsentatam, nihilominus pendentia litis, & inhibitione huiusmodi spretis, definitivè declaravit dictū Collegium teneri, & obligatum esse persolvere decimas omnium bonorū, quæ proprijs manibus, & sumptibus excollunt, etiam contra tenorem eiusdem Brevis disponentis loco decimæ vigesimæ persolui ex illis bonis de quibus de iure, vel consuetudine decimari solet, non obstante quod ex immemorabili probata consuetudine vniuersali dicta Diocesis, imo totius Hispaniæ, quod Religiosi ex huiusmodi bonis decimas non persoluant, & grauamen grauamini addendo, non declarato quæ nam sint bona de quibus de iure, vel consuetudine illarum partium ad formam dicti Brevis decimari debeant. A quibus omnibus grauaminibus, & attentatis, fuit pro parte eiusdem Collegij illiusque Rectoris intra legitima tempora ad Sanctitatem vestram appellatum. Dignetur igitur Sanctitas vestra, causam, & causas appellationis, & appellationum huiusmodi, nullitatis, & nullitatum, ex tribus iniquitatis, & notoriæ iniustitiæ attentatorū, & innovatorum quorumcunque, ac restitutionis in integrum, prout de iure, ex quocunque capite, etiam ex generali clausula, si qua mihi, &c. necnon quam, & quas, &c. de & super præmissis omnibus & singulis rebusque alijs, &c. vna cum toto negotio principali, in Rota, eidem reuerendo Patri domino Coccino, cui præinferta dirigitur, attenta connexionione, audiendas, cognoscendas, decidendas, sineque debito terminandas, committere, & mandare, cum potestate, citandi, inhibendi, alijsque facultatibus in præmissis, & circa ea quomodolibet necessaria, & opportuna, præmissis, necnon constitutionibus, seu ordinationibus Apostolicis, stylo Palatii, cæterisque in contrarium facientibus, non obstantibus quibuscunque, Statum, &c. pro plene, & sufficienter expressis habendo. De mandato domini nostri

80

fr̄i Papæ, idem Auditor procedat vt petitur, & iusticiã  
faciat, ex signatura Sanctissimi, proponente Reueren-  
do Patre Domino Oliuera ad præsens absente. Beatis-  
sime pater, cum alias fœlicis recordationis Leo Pa-  
pa Vndecimus, qui ante Põtificatum vnã cum alijs cer-  
tis Cardinalibus per fœlicis recordationis Clemẽtem  
Octauum deputatis, plenam cognitionẽ habuerat de  
præiudicio quod Ecclesiæ Hispaniarum fœciebant, ex  
eo quod Patres Societatis Iesu illorũ Regnorum, sub  
diuersis prætextibus subtrahebant se à solutione deci-  
marum; per suas literas in forma Breuis expeditas dis-  
posuerit & mandauerit, prædictos Patres teneri & obli-  
gatos esse ad præstationem decimarũ ex quibuscum-  
que suis bonis, & animalibus, etiã ex ijs quæ proprijs  
manibus & sumptibus colerent, vsque tunc acquisitis  
& tentis ad rationem vnus pro singulis viginti, ex po-  
stea vero acquirendis & tenendis, ad solutionem inte-  
græ decimæ, nempe ad rationẽ vnus pro singulis de-  
cẽ, exceptis tamen pecoribus quæ deseruissent pro vsu  
eorum Collegij, seu domus, & quæ ipsi proprijs sump-  
tibus nutrent, & exceptis hortis ac viridarijs quæ a-  
pud eorum domos siue Collegia intra ciuitates seu op-  
pida haberẽt, ac prædiolo quatuor fanecarum muro ta-  
men circumdato, pro vna quaque domo seu Collegio,  
quæ exempta & libera essent à prestatione huiusmodi,  
& iuxta tenorem huiusmodi literarum, in pluribus lo-  
cis ita fuerit seruatum in toto Pontificatu Clementis  
Octauus, & subinde iisdem Patres nemine citato refor-  
mationem dicti Breuis obtinuerint, à fœlicis recorda-  
tionis Gregorio Decimoquinto, placuit sanctitati ve-  
stræ contraria iussione Breue Gregorij reuocari, illud-  
que ad formam & tenorem Breuis Leonis Vndecimi  
reducere, prout in literis etiam in forma Breuis desu-  
per expeditis latius cõtinetur; sed prædicti Patres non  
acquiescentes huiusmodi mandatis Apostolicis, diuer-  
fas

fas lites excitarunt contra diuersas Ecclesias, & signan-  
 ter contra Decanum, & Capitulum Granatensem fan-  
 ctitatis vestrae deuotos Oratores, tam coram Ordina-  
 rio, quam coram Nuntio, & in Rota, & forsan alibi, su-  
 per praetensa eorū exemptione, & manutentione, quas  
 omnes vtraque parte informante, signatura iustitiae ad  
 instantiam Oratorum auocauit, & Nuntio executori  
 in dictis Breuibus deputato commisit, vt in prima pra-  
 inserta continetur, qui partibus auditis vltimo loco exe-  
 cutionem Breuis sanctitatis vestrae iuxta ipsius conti-  
 nentiam, & tenorem relaxauit, reseruata sibi facultate  
 terminandi articulum super noualibus statim, atque si-  
 bi constaret de eorum existentia. A quo decreto cum  
 nulla daretur appellatio, quia tendit in executionem di-  
 cti Breuis iuxta ipsius continentiam & tenorem, nihi-  
 lominus Rector & Collegium dictae Societatis Iesu  
 Granatensis sub falsa narratiua, quod Nuntius excessi-  
 set in sententiando contra formam dicti Breuis, causam  
 & causas assertae appellationis huiusmodi rursus in  
 Rota committi obtinuerunt Reuerendo Patri domino  
 Coccino, cui alias causa inter easdem partes super alia  
 simili appellatione commissa, & postmodum per primo  
 insertam auocata, vt in secundo prainserta continetur.  
 Cum autem, Pater sancte, dolosus prelator carere de-  
 beat impetratis, & vix impossibile sit impedire similes  
 commisiones, quae parte non citata signantur, & expe-  
 diuntur, & nisi aliquod extraordinarium remedium ad-  
 hibeatur, nunquam sit finem allatura contumacia dicto-  
 rum Patrum in parendo. Ideo supplicant Sanctitati ve-  
 strae ijdem Oratores quatenus praeuia causae, & causa-  
 rum huiusmodi auocatione, a dicto Reuerendo Patre  
 Domino Coccino, & alijs quibuscumque illam & illas  
 in statu & terminis, &c. Nuntio executori committe-  
 redignetur, qui procedat ad illarum cognitionem, &  
 terminationem, & executionem, iuxta facultates sibi

in dictis Breuibus attributas, seu alias de super necessarias & opportunas. Præmissis necnon inhibitionibus occasione præinsertæ, vel aliarum commissionum hæctenus signatarum, vel signandarum emanatis, & in posterum emanandis, nisi præuia personali citatione, & intimacione contra legitimum procuratorem deuotorum Sanctitatis vestræ Oratorum in Curia residentem; vel si magis placet, præuia auocatione à prædicto Nuntio, & alijs quibuscunque, committantur causæ omnes super dictis prætensis decimis, contra Collegia, & domus dictæ Societatis in Regnis Hispaniarum, eidem Reuerendo Patri domino Coccino, cum facultate exequendi dictas literas in forma Breuis, ac potestate citandi, & inhibendi, cæteraque in præmissis necessaria, & opportuna faciendi, non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, stylo Palatii, & Curia, cæterisque contrarijs quibuscunque, Statum, &c. aliorum que, &c. pro plene, & sufficienter expressis habendo. De mandato domini nostri Papæ, idem Auditor procedat, vt in secunda parte petitur, & iustitiam faciat. Placet de secunda parte. M. Post cuius quidẽ commissionis præsentationem, fuimus pro parte venerabilium Collegiorum Societatis Iesu, & domorum eorumque; Reuerendorum Rectorum, & Patrum in Regnis Hispaniarum existentium principalium debita, cum instantia requisiti, quatenus sibi citationem legitimam, vnà cum inhibitione sub pœnis, & censuris inserta, contra & aduersus Reuerendos dominos Decanum, Canonicos, & Capitulum Ecclesiæ Granatensis ex aduerso principales, omnesque alios, & singulos in executione præsentium nominandos, & cognominandos, extra Romanam Curiam, & ad partes, in forma solita, & cõsuetæ, decernere, & concedere dignaremur. Nos tunc Ioannes Baptista Coccinus Auditor, & Decanus; iudexque commissarius præfatus, attendentes postulacionem

tionem huiusmodi fore iustam, & rationi consonam, volentesque in causa, & causis huiusmodi, rite, & recte procedere, ac partibus ipsis iustitiam ministrare, vt tenemur. Idcirco auctoritate Apostolica nobis commissa, & qua fungimur in hac parte, vos omnes, & singulos supradictos quibus præsentibus diriguntur, & vestrum quemlibet in solidum tenore præsentium requirimus & monemus, ac vobis & vestrum cuiilibet, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub infra scriptis pœnis & censuris districtè præcipiendo mandamus, quatenus visis & receptis præsentibus, & postquam pro parte dictorum venerabilium Collegiorum & domorum Societatis Iesu eorumque Reuerendorum Rectorum, & Patrum Societatis Iesu in Regnis Hispaniarum existentium principaliu, vigore præsentium fueritis requisiti, seu alter vestrum fuerit requisitus. Præfatos Reuerendos dominos Decanum, Canonicos, & Capitulum Ecclesiæ Granatensis ex aduerso principales, omnesque alios & singulos sua cõmuniter vel diuisim interesse putantes, in eorum proprijs personis si ipsorum præsentias commodè habere poteritis, alioquin in domibus habitationu suarum, Capitulum vero dictæ Ecclesiæ Granatensis in loco Capitulari vbi Canonici pro Ecclesiæ negotijs tractadis ad locum campanæ, vel alias soliti sunt congregari, si ad hoc induci voluerint, & ad ea vobis tutus pateat accessus, & in parrochiali, seu parrochialibus sub qua vel quibus degunt & morantur; sin autem in Metropolitana Granatensi, & in dictis Parrochialibus alijsve Ecclesijs & locis publicis, in quibus ac vbi, dum, & quâdo populi multitudo ad diuina audienda, vel alias quomodolibet congregata fuerit, ex parte nostra imò verius Apostolica auctoritate, alta, & intelligibili voce peremptoriè citare curetis; quos nos etiã & eorum quemlibet tenore præsentium sic citamus, quatenus sexagesima die post citationem vestram per vos eis factam immediate sequenti,

si dies

218  
si dies ipsa sexagesima iuridica fuerit, alioquin proxima die iuridica tunc immediatè sequenti, compareat in iudicio legitime coram nobis per se, vel procuratores suos legitimos, cum omnibus & singulis actis actitatis, literis, scripturis, processibus, instrumentis, iuribus, munimentis, & documentis quibuscunque, causam & causas huiusmodi tangentibus, & quomodolibet concernentibus; præfatis venerabilibus Collegijs, & domibus eorumque Rectoribus, & Patribus Societatis Iesu Regnorum Hispaniarum, vel eorum legitimo procuratori, de & super omnibus & singulis in præinferta commissione cõtentis, de iustitia responsuri, & ad omnes actus & terminos iudiciales, gradatim & successiue etiam vsque ad sententiam diffinitiuam inclusiue procedi visuri, aliasque dicturi, auditori, & recepturi, quidquid iustitia suadebit, & ordo dictauerit rationis. Certificantes nihilominus eosdem sic citatos, quod siue in dicto citationis termino comparuerint, siue non; nos nihilominus ad partis comparentis, & causam huiusmodi prosequi curantis instantiam, ad præmissa omnia & singula, & alias prout iustum fuerit procedemus iustitia mediã te, dictorum citatorum contumacia, seu absentia in aliquo non obstante. Et insuper attendentes, quod lite, & causa, seu causis huiusmodi sic coram nobis in Romana Curia indecisus pendentibus, nihil sit in partibus per quemcumque attendendum, seu innouandum. Idcirco vobis omnibus & singulis supradictis, quibus præsentibus diriguntur, committimus, & mandamus, quatenus post legitimam dictæ citationis executionem, Illustrissimo & Reuerendissimis in Christo Patribus & Dominis Dominis Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Nuntio Apostolico in Regnis Hispaniarum commoranti, & quorumcumque locorum Ordinarijs sub interdicto ingressus Ecclesiarum, eorumque Auditori, & Vicarijs, siue Prouisoribus respectiue, cæterisque Officialibus, Iudicibus,



5  
cibus, & Commissarijs ordinarijs, extraordinarijs, delegatis, subdelegatis, executoribus, subexecutoribus, quacumque auctoritate fungentibus, & functuris, per ciuitatem & Dioecesim Granatensem, ac alias vbilibet existentibus & constitutis, & praesertim dictis reuerendis dominis Decano, Canonis, & Capitulo Ecclesiae Granatensis ex aduerso principalibus, omnibusque alijs & singulis quorum interest, intererit, aut interesse poterit, quomodolibet in futurum, quibuscumque nominibus censeantur, & quacumque perfulgeant dignitate, sub mille ducatorum auri de Camera, locis pijs arbitrio nostro applicandorum, & pro illis mandati executioni, ac in iuris subsidium excommunicationis, alijsque poenis per quemlibet contrauenientem, trium dierum canonica monitione praemissa ipso facto incurrendis, inhibeatis. Quibus nos etiam sub eisdem poenis & censuris, tenore praesentium inhibemus, ne ipsi, seu eorum alter, per se, vel alium, seu alios, publice vel occulte, directe vel indirecte, quouis quaesito colore vel ingenio, in causa & causis huiusmodi sic coram nobis indecisipendentibus, in iurisdictionis nostrae imo verius Apostolicae vilipendium & contemptum, dictorumque venerabilium Collegiorum & domorum eorumque reuerendorum Rectorum & Patrum Societatis Iesu Regnorum Hispaniarum principalium iuriumque suorum praerudicium & grauamen, quicquam attentare seu innouare praesumat, seu praesumat. Quod si fecerit, id totum reuocare & in pristinum statum reducere, & ad praefatarum poenarum & censurarum applicationem & declarationem respectiue procedere curabimus, iustitia mediante. Diem vero seu dies citationis & inhibitionis uestrarum huiusmodi atque formam, & quicquid in praemissis feceritis, nobis fideliter intimare curetis. Absolutionem vero omnium & singulorum qui praefatam nostram excommunicationis sen-

sententiam incurrerint, quoquomodo nobis, vel superiori nostro tantummodo referuamus. In quorum omnium, & singulorum fidem, & testimonium præmissorum, præsentem fieri, & per notarium publicum infra scriptum subscribi, & publicari mandauimus, sigillique nostri iussimus, & fecimus appensione communiri. Datum Romæ in Palatio nostræ residentie, sub anno à natiuitate Domini millesimo sexcentesimo vigesimo nono, Indictione duodecima, die vero Sabati vigesima sexta mensis Maij. Pontificatus sanctissimi in Christo Patris, & domini nostri domini Urbani diuina prouidentia Papæ Octauj, anno sexto. Præsentibus ibidem dominis, Ioanne Maria Iordano, & Ioanne Iandel notarijs publicis, scribisque nostris, testibus ad præmissa vocatis, atque rogatis.

Et quia ego Ioannes Iolus Laicus Verdunensis Diocesis sacri Palatij Apostolici causarum notarius, præmissis, vna cum prænominatis testibus præsens fui, ideo hoc præsens publicum instrumentum subscripsi, & publicauimus, rogatus, & requisitus, ✠ Loco signi, ✠ Loco sigilli pendentis.

Citatio cum inhibitione.

212

515